



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 4. Clementia Dei docet nos etiam in ingratos esse beneficos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

digniore, capaciōque fit maioris gratiæ
 diuinæ infundendæ. Sic oleum stetit, cum 4. Reg. 4.
 vas non superesset; quod tam diu fluxit, s.
 quàm diu filij matri suæ oleum infundenti
 vasa offerre potuerunt.

§. IV.

*Clementia Dei docet nos etiam in-
 gratos esse beneficos.*

Quarta causa est, ne nos à benefaciendo
 excusemus, dicentes, littus frustra arari, &
 nequicquam in saxis seminari: esse enim ho-
 mines quosdam, sicut ficum aridam, sicut
 terram sterilem, inutiles, ingratos, immò
 qui tanquam militares illi Leopardi, bene-
 ficijs peiores fiant. Quis actum libenter a-
 git? quis Aethiopem lauare, aut laterem
 conatur? Hæc omnia refutat diuina boni-
 tas, quæ quos redemisset, nisi etiam pro ini-
 micis suis voluisset Dei Filium, in cruce, im-
 molari? Philo, qui Hebræorum Plato dictus
 est, in hunc modum differit: *Benignus cum*
sit Deus, largitur bona omnibus etiam imper-
fectis, inuitans eos, ut æmulatores virtutis, atq;
participes fiant, ostentansq; immensas suas diui-
tias, quòd sufficiant etiam ijs, qui non magnam
utilitatem inde capiunt. Hoc autem alijs rebus
declarat manifestissimè; quoties enim pluit in

Matth. 5.
45.

Philo. l. i.
allegor.

Matth. 5.
44.

mare, fontes producit in desertissimis locis, tenuem & asperam, sterilemque terram rigat inundans fluminibus, quid aliud exhibet, quam nimietatem diuitiarum benignitatisque sue? Eadem est causa, ob quam nullam animam sterilem boni creauit, quamuis sint quedam, quibus hoc est inutile. Vides pulcherrimum summi DEI exemplum, cuius imitationem ipse vrgens ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filij Patris vestri, qui in caelis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.* Imitare, ô homo, tuum Conditorum, benefac etiam beneficia contemnentium. Si malus est ille, tanto tu melior esto. Factu, quod boni solent, si vis esse bonus; si ille respuit tuum munus, non tu idcirco desinis esse bonus; sed ille se malum esse demonstrat. Imitetur ille diabolum, tu imitare Deum, qui ad poenitentiam prouocat amando, nec raro indulgendo corrigit. Quinta causa est, ut nos manu ducat ad cultum, inuocationemque Sanctorum, per quos, etiam desperatissimis manum porrigit, ut resurgant.

Pl. 138. 17. Sic nimis honorificati sunt amici tui Deus; & præcipue tua atque misericordia Mater Maria,
Virgo

Virgo clementissima, & refugium peccatorum,
 à te constituta, per quam non riuulos, sed
 fluuios immensæ bonitatis tuæ effudisti:
 quos huius voluminis angustijs includere,
 planè temerarius sit conatus. In confesso
 est, angustiùs illam, quàm per tam prodi-
 giosam beneficentiam, inclarescere non po-
 tuisse. Nam sicut in Psal. 49. 15. Deus af-
 flicto dicit: *Ernam te, & honorificabis me;* ita
 meritò etiam Mater Dei, ab ijs, quos eruit,
 in toto orbe terrarum honorificatur.

§. V.

*Christus adultera clemens, Phariseos
 in ruborem dat.*

Eant nunc Aristarchi, murmurent Theo-
 nes, & dentem exacuant; inde Deo gloria
 nascitur, vnde illi occasionem sumunt con-
 uitiandi. Primum exemplum est, quia hac
 mente adduxerunt Christo *Scriba & Phari-* Ioan. 8. 3.
sai mulierem in adulterio deprehensam, & sta-
tuerunt eam in medio, fingentes scilicet, se
 Christi iudicio stare velle; quamuis scrupu-
 lum subijciebant: *In lege Moyses mandauit*
nobis huiusmodi lapidare, quid tu dicis, ap-
probasne legem, an reprobas? Hoc, totum
dicebant tentates eum, ut possent accusare eum.
 Sciebant enim eum misericordiam profiteri Ita S. Aug.

Z 5 & man-